BEDA VENERABILIS
Salzburg, St. Peter, 1. Viertel 9. Jh.
Seite 71
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38278
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

tempus baptizandos habere docuit. quia et Hezechiel omnes gentes baptizantes eos in nomine patris et filii et spiritus sancti. Quasi hoc idem triennium per decem multiplicari precepit cum subiunxit. Docentes eos seruare omnia quaecumque mandaui uobis. In cuius etiam figuram mare aeneum in quo sacerdotes templum intuituri lauabantur. et triginta cubitorum funiculo circuiri exterius et intrius. tres numero metiebatur capere potuisse nar ratur. quia cor decredetur ad iustitiam. ore autem confessio fit ad salutem. Cui sensui suffragatur quod apostolus percepta spiritus sancti gratia primo animarum tres numero baptizant. et quia maris aenei mentio incidit. libet et hinc ceteris quomodo baptismi regule congruat inquirere. A labio inquit usque ad labium cubitorum decem. quia non terrena nos sollicitudine coangustari sed caelestis denarii opo et expectatione dilatari. labium eius quasi labium calicis. uel folium repandi lilii quorum uno poculum dominice passionis. Altero patefacto resurrectionis eius claritas exprimitur. Nam quod ait apostolus. Quicumque baptizati sumus in xpo ihu in mortem ipsius baptizati sumus. Ad labium calicis pertinet. Quod uero subiungit. Ut quomodo surrexit xps a mortuis per gloriam patris. ita et nos in nouitate uitae ambulemus. ad florem repandi lilii respicit. Firmitudo eius trium unciarum ut omne baptizatorum robur fidei spei caritatisque perfectione solidetur. quinque cubitos habebat altitudinis. quia quicquid uisu auditu gustu olfactu uel tactu delinquitur. totum unda regenerationis abluitur. boues qui per quattuor singulas caeli plagas terni aspiciunt. ut in fide sancte trinitatis orbis baptizetur uniuersus. Stabat autem in latere dextro atrii sacerdotum contra orientem ad meridiem quia flante nouo testamento gratia datum est peccatoribus et non solum ad orientem exalto. sed et in numeris scriptura sacra et locis tricenarius numerus xpi et ecclesiae sacramentis aptatus inuenitur. Nam et ioseph qui in figuram resurrectionis nouique testamenti octoginta annis aegiptios a fame defendit tricenarius ablatus ergastuli sordibus regni gubernacula suscepit. et dauid eadem aetate regnum quia septuagenarios hoc est per pietatem quae et dignus complere et inchoauit. et hiezechiel triginta annorum apertis sibi caelis per pietatem donat meruit. et quia per fidem et aduersa longanimiter ferri et sublimiter deberet per misericordiam aspernari et arcae uel templi altitudo et tabernaculi longitudo xxx cubitis mensuratur.

Ut putabatur inquit filius ioseph.

Hoc uerbum per illos posuit qui eum ex ioseph sicut alii homines generantur rebantur esse progenitum. Unde si quem mouet cur maria de spiritu sancto genuerit xpm. et ioseph illius non uere sed putatiue pater appellatur. Cur non mariae potius quam ioseph quae nihil ad eum pertinere uidebatur generatio deseribatur. sciat primum non esse consuetudinis scripturarum ut in mulierum ingenerationibus ordo textatur. deinde ex uno tribu fuisse ioseph et mariam. Unde et lege eam accipere cogebatur ut propinquam et quod simul censentur in bethleem. ut de una uidelicet fuerit pegenerata atque ideo per generationem ioseph origo quoque mariae monstretur.